



Dilecto Filio Michæli Angelo Franceschi Fratri expressè Professo Ordinis
Minorum S. Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, Prædicatori
Palatii nostri Apostolici.

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.



XIMIA RELIGIOSARUM VIRTUTUM MERITA, QUIBUS apud Nos maximòpere commendaris, & doctrina, prudentia, ac zelus, quibus officium Prædicatoris Palatii Apostolici nostri Tibi alias demandatum laudabiliter obire pergis, Nos inducunt, ut, quemadmodum Nos ad Ordinem S. Francisci Minorum Cappuccinorum nuncupatorum, cuius Frater expressè professus existis, aliqua prærogativa decorandum, Prædicatores ejusdem Palatii Apostolici ex memorato Ordine deinceps futuris temporibus esse assumendos per alias nostras in simili forma Brevis litteras hac ipsa die datas, statuimus, decernimus, & ordinamus, ita Tibi etiam non obscurum nostræ Apostolicæ benignitatis argumentum exhibeamus: Itaque auctoritate Apostolica, tenore præsentium Te modernum Prædicatorem ejusdem Palatii Apostolici, primum in munere hujusmodi, quoad vixeris, confirmamus; Deinde volumus, & in virtute S. Obbedientiæ mandamus omnibus, & singulis Ordinis Tui Superioribus, Generalibus, & Subalternis, ut ab ipsis, ceterisque, ad quos spectat, Tu habearis, ac sis ad instar aliorum Regiarium Palatio Apostolico proxime additorum, itaù Rheda, vel Curru ut eodem prorsus modo, quo alii Concionatores Apostolici ejusdem Ordinis ad hanc usque diem usi sunt; Necnon ut pecunia, sive ex honorario consueto, sive aliundè, lícitè tamen, & legitimè Tibi provenientem, lícitè, & liberè, absque ullo Conscientiæ scrupulo pro Tuis, & Sociorum tuorum necessariis, decentibusque usibus impendere possis, & valeas. Præterea Tibi, ut aliquem ex Alumnis dicti Ordinis experiri, instruere, & informare, atque Tuum in officium hujusmodi, Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti designare successorem valeas, tam Prædicatorem per sacratissimam Quadragesimam in Ecclesia sub Titulo S. Mariae in Vallicella Presbyterorum Sécularium Congregationis

gregationis Oratori S. Philippi Neri, quām Prædicatōrem infra annum, in Ecclesia Archiconfraternitatis sub Invocatione Stigmatum S. Francisci de Assisi de eadem Urbe de more prædicare, & ex Alumnis dicti Ordinis Cappuccinorum eligi solitum, eligendi omnimodam facultatem concedimus, & impartimur. Decernentes easdem praesentes litteras, & in eis contenta quæcunque, semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac Tibi in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicquè in premissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palati Apostolici Auditores judicari, & definiiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus premissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis Cappuccinorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia corroboratis, Statutis, & Confuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores presentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus; Ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Ronæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 2. Martii 1743. Pontificatus Nostri Anno Tertio. Pro D. Card. Passioneo Cajetanus Amatus.

Concuerda este trascrito con su original, que para este efecto exhibió ante mi el R. P. Fr. Miguel de Antequera, Predicador Capuchino, y Director del Divino Oficio de su Provincia, à quien lo bolvi, y firmó aqui su recibo, y va cierto, y verdadero, à que me remite. Y para que conste, à su pedimento yo el M^r D^r Diego Simeón de la Paixencia P^r Notario Ap^r y P^r de la Audiencia Arzobispal desta Ciudad de Granada, y Arzobispado del presente, y lo signé, y firmé en ella en Señor y punto dias del mes de Mayo — de mil setecientos quarenta y tres años.

Fr. Miguel de Antequera

M^r D^r Diego Simeón de la Paixencia
Notario Ap^r y P^r
M^r 29